

in ejuſdem ſiniſtræ vola, in pugnum contracta. Nec minorem vim habet ad fanandam pleuritidem, capitis vertigines, & fexcentos alios, ſi credimus expertis, morbos.

Alterum animantis genus illic notiffimum & frequentiffimum eſt fiber, cujus pelle, cum Europæis mercibus mutanda, commercii Canadenſis ratio fere tota conſtat. Color caſtaneæ colorem imitatur; modus cor[po]ris idem, qui exigui vervecis: curti pedes & ad natandum compoſiti, nam in aquis perinde ac in terra degit; cauda glabra, craſſa & plana, quæ natanti pro gubernaculo ſit: dentes duo, majores ceteris, ex ore utrimque prominent: iis tanquam gladio & ferra utuntur fibri ad arbores excindendas, cum domos extruunt; in iis enim fabricandis mira pollent induſtria. Eas ponunt ad lacuum fluviorumve ripas: muros è ſtipitibus componunt, interjecto ceſpite uliginoſo ac tenaci, calcis inſtar; vix ut multa vi effringi opus & convelli poſſit. Tota caſæ fabrica variis contignationibus diſtinguitur: infima è tranſverſis lignis craſſioribus conſtat, inſtratis deſuper ramis, ac relicto foramine & oſtiolo, per quod in fluvium ſubire, cum videtur, poſſint: Hæc modice ſupra fluminis aquam exſtat, aliæ affurgunt altius, in eaſque, ſi fluvius intumeſcens imum tabulatum vicerit, ſe recipient. In una è ſuperioribus contignationibus cubant; præbet molle ſtratam alga ſiccior, & arborum muſcus, quo ſe tutantur a frigore; in altera penum habent, & proviſa in hyemem cibaria. Ædificium fornicato